NOVÆ PHILOSOPHIÆ

In alma Vilnensi Academia S. I. A NICOLAO ZAVISZA, eiusdem S. I. Religioso fundatæ, & 1635. 2. Sept. inchoatæ,

præludit lætus Auditor.

D. O. M.

SAPIENTIA

Ædificauit domum prou. 9.

Et quæ superbis edita frontibus
Insurgit ædes? ingenium loci
Æquale cælo, quod sereno
Irradiat Dea clara uultu?
Quid est? perenni marmore caduæ
ZAVISSIANÆ fert SAPIENTIÆ
Insigne portæ? cresce grandis
Progenies Litaui Senatus:
Quacunq; flexo lumine transeo
Deuota VESTRÆ stat SAPIENTIÆ
Vbiq; sedes: seu Senatus,
[illegible]
Ingressa sedes Valerianeas
Nouauit ædem. Quot famulûm Dea
Stipanda fundatur cateruâ!
Quot comitanda virûm coronâ!
Cerno frequentem, qualis in atrio
Docti Platonis, Cecropis aut domo
Præcepta sumpsit turba, talem
Huc celeri properare passu.
Stes auspicato principio domus:
ZAVISSIANÆ TV SAPIENTIÆ
Gestura nomen: Tu perennes
NICOLÆO paritura laudes.

CRESCE

ZAVISSIANA SAPIENTIA
olim
In Curiâ & Palatio:
Nunc etiam
Academicos inter
RERVM ARBITRA
consedisti.
Vt nimirum
non
FAMILIÆ TVÆ
tantùm
sed
ORBIS POLONI LITVANIQVE
Immò
VNIVERSI
Consilia moderêre.
ET QVAE
NICOLAVM [illegible]
diuinis Tuis artibus
Religioni primùm tum Cœlo
intulisti:
CHRISTOPHORVM ZAVISSAM
Vnà cum inclyta FAMILIA
magnis, vt facis, Honoribus
auge.
Atque
SIBI. NOBIS. PATRIÆ
diu ornatum
serua.

SAPIENTIA

Proposuit mensam prou. 9.

Mensis Sinarum stet gelidum licet
Nemus, pererrent indomiti greges
Ferarum, Apelleâ cateruæ
Alituum modulentur arte.
ZAVISSIANÆ qui SAPIENTIÆ
Mensam uidebit, temnet ut impares.
Non hic Timantes inuidendis
Immolat Iphigenian aris:
Non una Zeuxis ludit edacium
Famem volucrum: non tumor insolens
Velo notatur: non tabella
Attalicis celebrata lucris.
Sed fulminantûm regia siderum,
Tellusq; odoro diues Amaraco,
Tumensq; Nereus, Jupiterq;
Ponitur ingeniis tenendus.
Hic literati NICOLEI manu,
Fusoq; pronis munere scrinijs,
Plato Stagyritesq; magni
Palladiam instituunt palæstram.
Quid ergo claram sollicitus petes
Erro Corynthum? Quid placidis sacras
Musis Athenas? ZAVISARVM
GRATIA te celebrem creabit.

DOCTRINA.

Audin', olorinos sublime per aëra cantus
Dulce repercussis, astra ferire modis?
ZAVISIANA docet lætam SAPIENTIA mortem:
Quod canat assiduo carmine, Cygnus habet.



FAMA.

Littaua non vanas animo spes concipe Vilna,
Cum Prytanea dicat ZAVISIANVS olor.
Altius humanis poteris conatibus ire:
Alas ingenio [illegible] ille, tuo.

Nicolaus Zawissa Iuvenis egregius notus
tam in Polonia quam in Lituania (Sed ubi magis?)
Expleto [illegible] Secretis Tyronis
ac precio Sanctitatis suae sive
tali donato
Cum fratre Augustino vivaldi
qui fuit [illegible] [illegible]
Romae [illegible] simul [illegible] [illegible]
[illegible]
NOVA

PHILOSOPHIA

13 NOVA

PHILOSOPHIA